

Hanc doctrinam duplicis vitæ peccatoris confirmarunt summi pontifices Pius V et Gregorius XIII, damnando sequentem propositionem Baii, quæ est numero 64: « Illa » distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur » peccator, dum ei pœnitentiæ et vitæ novæ propositum » et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua » vivificatur qui vere justificatur et palme vivus in vite » Christi efficitur, pariter commentita est et Scripturis » minime congruens. »

Quæritur 1<sup>o</sup> an sententia veterum theologorum qui docebant absolutionem sacerdotis esse tantum declaratoriam, quia supponebant peccatorem vi contritionis perfectæ, cujus necessitatem admittebant, jam esse justificatum, sit hæretica.

R. Est temeraria, erronea, principiis Concilii Tridentini minime congruens, non tamen formaliter hæretica. Nam 1<sup>o</sup> multum differt ab errore pseudoreformatorum qui negant Pœnitentiam esse sacramentum et ullam producere gratiam. Theologi enim de quibus agitur, admittebant Pœnitentiam esse sacramentum novæ Legis, gratiam sanctificantem producere, et contritionem quantumvis perfectam peccata non delere nisi in ordine ad claves Ecclesiæ. 2<sup>o</sup> Directe non fuit damnata; concilium enim Tridentinum anathemate percussit eos qui dicerent, sicut hæretici, absolutionem non esse actum judicalem, sed nudum ministerium: at rigore dici posset absolutionem esse actum judicalem, licet duntaxat declararet peccata esse remissa; quia, videlicet, sacerdos tanquam minister Christi, prius audita confessione, juridice pronuntiaret peccata esse remissa, sicque ritum sacramentalem, vi cujus peccata a Deo remitterentur, applicaret. Certe hæc explicatio est subtilis et menti concilii Tridentini parum conformis; igitur ab omnibus catholicis nunc rejicitur: attamen sufficit ut sententia theologorum ei adherentium non sit hæretica. Unde Soto et Salmeron, qui concilio Tridentino adfuerant, hanc sententiam resellentes, non dicunt illam a concilio fuisse damnatam.

Quæritur 2<sup>o</sup> quandonam institutum fuerit Pœnitentiæ sacramentum.

R. Christus illud promiserat dicendo Petro: *Dabo tibi claves, etc.*, et omnibus Apostolis: *Quæcumque alligaveritis, etc.* Illud vero instituit post resurrectionem suam, quando insufflans super Apostolos, dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum; Quorum remiseritis, etc.* Ita propriis verbis docet concil. Trid., sess. 14, cap. 1: « Dominus autem » sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum » a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite,* » etc.

## CAPUT SECUNDUM.

### DE MATERIA SACRAMENTI PœNITENTIÆ.

Duplex distinguitur materia sacramenti Pœnitentiæ: una remota circa quam versatur, et altera proxima ex qua componitur sacramentum.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE MATERIA REMOTA SACRAMENTI PœNITENTIÆ.

Nulla in eo puncto est controversia inter theologos, qui omnes fatentur materiam remotam, seu potius removen- dam, sacramenti Pœnitentiæ, esse peccata post Baptismum commissa. Sunt enim objectum circa quod deledum versatur sacramentum.

Hæc materia potest esse necessaria, vel tantum sufficiens et non necessaria.

#### PROPOSITIO PRIMA.

*Omnia peccata mortalia post Baptismum commissa et nondum directe remissa per sacramentum Pœnitentiæ, sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ.*

*Prob.* Omnia peccata mortalia sunt materia sacramenti Pœnitentiæ necessaria, si omnes homines peccati mortalis rei ad illud sacramentum recurrere teneantur: atqui pro-

babimus infra, demonstrando necessitatem confessionis, omnes reos peccati mortalis ad sacramentum Pœnitentiæ recurrere teneri : ergo.

Diximus 1<sup>o</sup> post *Baptismum commissa* ; quia peccatum originale et etiam peccata actualia ante Baptismum commissa, clavibus Ecclesiæ subjici non possunt ; Ecclesia enim de iis qui foris sunt non judicat, et tamen sacramentum Pœnitentiæ per modum iudicii administratur : ergo.

Diximus 2<sup>o</sup> *nondum directe remissa per sacramentum Pœnitentiæ* ; probabimus enim infra strictam dari obligationem confitendi peccata aliter remissa, v. g., vi contritionis perfectæ, ante sacramentum, aut indirecte, vi absolutionis in ipso sacramento, si bona fide oblivioni data fuissent.

## PROPOSITIO SECUNDA.

*Peccata venialia sunt materia sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, sed non necessaria.*

*Prob. prima pars*, videlicet ea esse materiam sufficientem. Etenim verba Christi, *Quæcumque solveritis*, etc., *Quorum remisistis*, etc., sunt generalia et ad omnia vincula spiritualia extendenda sunt : porro peccatum veniale, etiam minimum, aliquod est vinculum spirituale : ergo.

*Prob. secunda pars* ex concilio Trid., sess. 14, c. 5 :  
 « Venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ  
 » frequentius labimur, quanquam recte et utiliter, citra-  
 » que omnem præsumptionem, in confessione dicantur,  
 » quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen  
 » citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.  
 » Ergo. »

## PROPOSITIO TERTIA.

*Peccata jam directe remissa sunt materia sufficiens sacramenti Pœnitentiæ.*

*Prob. 1<sup>o</sup>* verbis Christi, *Quorum remisistis*, etc. Christus enim non dicit, *Quorum semel remisistis* ; non vetat

igitur condonationem iterare. 2<sup>o</sup> Qui alterum offendit, potest iterum atque iterum culpam confiteri, veniam petendo ; et offensus recte dicit iterum : *Veniam concedo, tibi parito* : ergo *a pari*, etc. 3<sup>o</sup> Denique id constat ex praxi Ecclesiæ et usu piorum hominum : quæ ratio sola est validissima et sufficit. Ergo.

*Dices 1<sup>o</sup>* : Peccata remissa jam non sunt peccata : ergo non possunt esse, etc.

*R. Dist. ant.* Non sunt peccata, actu, *conc.* ; non possunt revocari in mentem ut peccata præterita, *nego ant.* Quoties autem sic rememorantur, peccator de illis dolere debet ; ea confiteri et pro illis de novo satisfacere potest : cur ergo repugnaret absolutionem super iisdem iterari ?

*Inst. 1<sup>o</sup>*. Verba absolutionis vera esse debent : atqui non essent vera, siquidem peccata reipsa non remitterentur : ergo.

*R. Nego min.* Sensus enim verborum absolutionis est ; *Confero tibi gratiam sanctificantem, peccatorum remissionem* : porro ille sensus verus est, licet peccata jam fuerint remissa.

*Inst. 2<sup>o</sup>*. Qui super vinctum a corporalibus vinculis jam solutum diceret, *Solvo te*, falsum pronuntiaret : ergo *a pari*, etc.

*R. Nego conseq. et paritatem.* Ratio disparitatis est quod solutio a vinculis corporalibus effectum positivum sibi annexum non habeat, et in dicto casu jam fieri nequit ; e contra Pœnitentiæ sacramentum gratiam sanctificantem secum portat, eamque pœnitenti recte disposito confert. Ergo.

*Inst. 3<sup>o</sup>*. Qui verba consecrationis super hostiam jam consecratam pronuntiaret, sacramentum non conficeret : ergo similiter et qui verba absolutionis, etc.

*R. Nego iterum conseq. et paritatem.* Ratio disparitatis est quod in hostia consecrata non existat panis, materia essentialis Eucharistiæ ; contra vero peccata remissa possunt esse objectum doloris, confessionis et satisfactionis : hi autem actus pœnitentis sunt materia sacramenti Pœnitentiæ : ergo.

## ARTICULUS SECUNDUS.

## DE MATERIA PROXIMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Lutherani qui hoc sacramentum retinent, assignant pro ejus materia terrores conscientie ex agnito peccato incussos, et fidem ex Evangelio vel absolutione conceptam qua credit quis sibi per Christum esse remissa peccata; *Palav. Hist. concil. Trid., l. 12, cap. 10, n. 3.*

*Moeller* doctrinam Protestantium in hoc puncto sic exprimit: « L'effroi de la conscience nous rend seul dignes » des mérites de Jésus-Christ; puis la foi, comme organe, » délivrant l'homme de ses terreurs, le rend juste et saint » aux yeux de Dieu. Ensuite, quand le fidèle est justifié, » le dessein de changer de vie et l'amour de Dieu naissent » de la foi; en sorte que ces deux sentiments ne contri- » buent en rien à la justification, et n'entrent point, par con- » séquent, dans l'idée de la pénitence. (*Symbolique*, 33.)

Error iste damnatus est in concil. Trid., sess. 14, cap. 3, his verbis: « Sancta synodus eorum sententias damnat » qui Pœnitentiæ partes incussos conscientie terrores et » fidem esse contendunt. » Idem habetur can. 4 ejusdem sess.

*Calvinus* vero, Pœnitentiã habens tantum ut virtutem, duas ipsi partes essentielles assignat, nempe mortificationem et vivificationem, id est, abnegationem sui et interiorum animi renovationem; *Institut., de Pœnitent., n. 2.*

Inter catholicos variæ sunt opiniones quæ ab Ecclesia non fuerunt damnatæ. 1º *Scotus* totam sacramenti Pœnitentiæ essentiam in sola absolutione reponit, contritionem vero, confessionem et satisfactionem tradit ut dispositiones necessarias, et non ut partes sacramenti: plures recentiores huic opinioni subscripserunt, inter quos *Maldo-* *nat.* 2º *Durandus* volebat totam sacramenti Pœnitentiæ materiam in sola confessione pœnitentis consistere, contritionem vero esse dispositionem, et satisfactionem fructum Pœnitentiæ. 3º *Paludanus* tres actus pœnitentis, contritionem, confessionem et satisfactionem pariter necessarios

esse contendit, cui consentire videtur *Petrus Osmensis*, dicens absolutionem datam ante satisfactionem, esse nullam. 4º *Melchior Canus* docet contritionem non esse partem essentiali sacramenti, sed integrale duntaxat. 5º Eruditus *P. Morinus*, l. 8, cap. 8 et 15, probare intendit manus impositionem ad reconciliandum peccatorem etiam private semper fuisse in usu, eamque necessariam esse; *Witasse* et plures alii volunt eam esse materiam hujus sacramenti. 6º Cæteri vero theologi pro materia sacramenti Pœnitentiæ proxima assignant, post S. Thomam in tertia q. 84, art. 2, tres actus pœnitentis, scilicet contritionem, confessionem, et satisfactionem in principio suo, id est in dispositione mentis, et aliquo modo inchoatam per ipsam confessionem, et in voto de cæteris: satisfactio enim in re et in actibus suis, est pars sacramenti integralis, non autem essentialis, ut ostendemus infra.

## PROPOSITIO.

*Tres actus pœnitentis, contritio, confessio et satisfactio, sunt materia proxima sacramenti Pœnitentiæ.*

*Prob.* 1º Decreto Eugenii IV ad Armenos: « Quartum » sacramentum est Pœnitentiæ, cujus quasi materia sunt » actus pœnitentis. »

2º Concil. Trid., sess. 14, cap. 3, et can. 4: « Si quis » negaverit ad integram et perfectam peccatorum remis- » sionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam » sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confes- » sionem et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes di- » cuntur... anathema sit. » Unde sic: Quamvis concilium Trid. controversiam inter Scotistas et Thomistas definire noluerit, referentem *Palavic.*, l. 12, cap. 12, attamen in sententiam Thomistarum, quæ est nostra, multo magis propendere videtur. Etenim 1º loquitur de materia hujus sacramenti et aliam præter actus pœnitentis non assignat. 2º Dicit hos actus esse partes Pœnitentiæ: concurrunt ergo ad conficiendum sacramentum. 3º Eodem modo synodus Trid. loquitur de forma absolutionis ac de acti-

bus pœnitentis, cap. 3 : at forma est pars essentialis sacramenti : ergo et actus pœnitentis : porro si sint partes essentielles, tenent locum materiæ. 4° Catechismus concilii Trid., cap. 17, de Actibus pœnitentis, sic habet : « Neque » vero hi actus, quasi materia a sancta synodo appellantur, » quia veræ materiæ rationem non habent ; sed quia ejus » generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, » ut aqua in Baptismo et chrisma in Confirmatione. » Ergo.

*Prob. 3° ratione.* Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii administrari debet, ut patet ex ipsius institutione et ex infra dicendis : in judicio autem cognitio causæ est materia : ergo confessio est materia sacramenti Pœnitentiæ : at cum fieri debeat in ordine ad reconciliationem, oportet eam esse cum dolore et satisfactione saltem in proposito. Ergo.

*Dices 1° :* Concil. Trid. docet, sess. 14, cap. 4, contritionem præparare *ad remissionem peccatorum* : ergo est dispositio ad sacramentum, non vero pars ejus.

*R. Nego conseq. et dico* contritionem esse simul dispositionem, quatenus ex parte pœnitentis consideratur, et partem sacramenti in quantum a Christo ad hanc dignitatem fuit elevata. Idem de aliis actibus pœnitentis dici potest. Ergo.

*Dices 2° :* In sacramentis minister simul applicat materiam et formam : at supposito actus pœnitentis esse materiam sacramenti Pœnitentiæ, pœnitens unam partem sacramenti applicaret et sacerdos alteram, et sic uterque foret minister. Ergo.

*R. Nego maj.* In pluribus quidem sacramentis minister simul applicat materiam et formam, ut in Baptismo, in Confirmatione, in Ordine, in Extrema-Untione. At in sacramentis quæ a sola voluntate Christi pendent, argumentum *a pari* est vitiosum. Et revera, quædam sunt sacramenta in quibus minister non simul applicat materiam et formam, sed tantum formam super materiam sibi oblatam pronuntiat, et sacramentum efficitur, scilicet, in Eucharistia et probabilius in Matrimonio ; cur non in Pœniten-

tia? pœnitens autem non magis est comminister sacramenti quam sacrista qui panem eucharisticum ante missam ponit in altare : ergo.

*Dices 3° :* Materia alicujus sacramenti debet esse sensibilis : atqui contritio non est sensibilis : ergo.

*R. Dist. min.* Non est sensibilis in se, *conc.* ; in actibus externis eam manifestantibus, *nego min.* Etenim contritio, quæ est actus cordis, manifestatur per nonnullos actus quibus judicatur hominem esse contritum. Ergo.

Cum impositio manus in cunctis Ritualibus simpliciter præscribatur, et aliunde graves auctores arbitrantur eam esse necessariam, nunquam omitenda est ; et si ob infirmitatem sacerdos manum dexteram extendere non posset, sinistram protendere deberet ; imo, et absolutionem sine manus impositione pronuntiatam iterare, quia ubi de validitate sacramentorum agitur, pars tutior semper est eligenda.

## CAPUT TERTIUM.

### DE CONTRITIONE.

Vox *contritio*, a verbo *conterere* veniens, denotat in sensu grammatico actionem aliquid durum in partes minutas dirumpendi, et per metaphoram exprimit actum internum quo duritia cordis frangitur. Definitur a concilio Trid., sess. 1, cap. 4 : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Dicitur 1° *animi dolor* ; id est, interna voluntatis tristitia, non vero affectio exterior in parte sensitiva : aliquando hæc affectio ex vehementi dolore interno nascitur, et est laudabilis, non autem necessaria, cum ab homine non pendeat.

Dicitur 2° *detestatio de peccato commisso* ; id est odium peccati, efficiens ut quis valde exoptaret non peccasse.

Dicitur 3° *cum proposito non peccandi de cætero* : detes-